

226
E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81




Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

~~2e exempl. 13.K.1:55~~ a.

226 E 81

N Kn 1570

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

D.KI.53 Gramm. 522 Lit.

Joannis Murmellii Ruremundenſis Libellus: qui inſcribitur protrepti=cus poetanti=um.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

KONINKL.
BIBLIOTHEEK
TE'SHAGE.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

¶ Joannes Murmellius auditoribus ſuis ſalutem

EN vobis ſtudioſi poeticę iuuenes, protrepticum libellū, duodecim de poetandi modo pręcepta cōtinentem, quę poſt memorię commendatas de componendis verſibus tabulas, ſi diligenter obſeruare ſtudueritis, non paꝝ fructus vobis allatura confido. Ualete, ⁊ hanc pręceptoris veſtri lucubratiunculam, tametſi breuem, et perpuſillam, boni conſulite Alcmarię nonis Martijs. Anno ſalutis noſtrę M. D. xvij.

¶ Primum pręceptum

Sumite materiam conſultis viribus ęquam

¶ Inprimis ingenij veſtri vires conſulite, et accurate quid exequi, abſoluereqꝫ valeatis, perpendite. Nō enim temere iuuenes, vel heroicę maieſtatis molem, vel tragici cothurni pondus ſubire decet. Turpe eſt id humeris imponere, quod mox abijciendum ſit. Uergilius ille princeps poetarum non ſolum bucolicis, ſed et octo paruis opuſculis, quę Seruius enumerat, abſolutiſſimo Georgicoꝝ operi, et diuinę Aeneidi pręluſit. Lucanus ante Medeā, ⁊ Pharſaliā, Papinius ante Thebaida ſyluaꝝ libros ędiderunt. Proptius nihil pręter elegias, Martialis epigrāmata ſcriptitauit. Horatium itaqꝫ bene pręcipientem libenter audite.

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, ęquam
Uiribus, et verſate diu, quid ferre recuſent
Quid valeant humeri, cui lecta potenter erit res
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidus ordo

✠ Secundum.

Ingenio prius eſt res inuenienda perito

Quemadmodum pictor rem quampiam coloribus expreſſur⁹, eius exēplar animo prius cōcipit, deinde ſumpto in manū penicillo ſtudet exemplum reddere, q̄d exemplari cōcepto belle rñdeat, ſic poema ſcripturo, materia prius ē animo ꝯcipienda, quam ſtylus in manuꝫ ſumēdus. Inprimis autem duo ſunt ei neceſſaria, fluēs ad fingēduꝫ vena ingenij, ⁊ multiiuga variarum artium, reꝝqꝫ peritia, de quibus Horatius eleganter

Natura fieret laudabile carmen, an arte
Quęſitum eſt, ego nec ſtudium ſine diuite vena
Nec rude quid proſit, video, ingenium, alterius ſic
Altera poſcit opem res, et coniurat amice
Idem rem ex morali philoſophia docet optime capi poſſe
Scribendi recte ſapere eſt et principium, et fons

Rem tibi Socraticę poterunt oſtendere chartę

¶ Tertium

Diſponenda ſuo mox ordine: et arte locanda

¶ Ubi res ingenioſe eſt excogitata, tuꝫ artificioſo digeratur ordine, ⁊ ſuo pars vnaqueqꝫ loco collocetur. Diſpoſitio enim eſt vtilis reruꝫ, ac partium in loco diſtributio. Poetę autem ſepenumero a medijs incipientes, per narrationem ad prima redeunt, et vltima pręoccupant, vt Virgiliꝰ a ſeptimo errorum Aeneę anno ſumit Aeneidos initium, mox apud Didonem, quę de Troianę vrbis excidio, et varijs nauigationibus enarrat, ordine ſuo narrat. Unde Flaccus Horatius

Ordinis hęc virtus erit, et Venus, aut ego fallor
Ut iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
Pleraqꝫ differat, et pręſens in tempus omittat
Hoc amet, hoc ſpernat promiſſi carminis auctor

¶ Quartum

Eloquij in promptu ſint ornamenta decori

¶ Ut materiam fœliciter inuentam, ⁊ artificioſe diſpoſitam, tum ſplendidis verbis, et ornatis orationibꝰ, tum grauibus, ac luculentis ſentẽtijs eloquamini, cumprimis eſt prouidendum. Habẽda ſunt igit̃ in promptu exquiſita multaruꝫ reꝝ vocabula, ſonorę dictiones, accõmoda ſubſtãtiuis epitheta. Tenendę ſunt memoriter figurę, potiſſimum autem eę, que verſibus elegantiam, et gratiam carminibus adferũt. Scienda ſunt adagia, et illuſtrium viroꝝ apophthegmata, et q̃cquid exemploꝝ pręcęteris eſt memorabile. Quę oĩa vobis cum varia lectio ſuggeret, tum inprimis hi ſcriptores, ⁊ ſi q̃ ſunt eis haud diſſimiles, Diomedes, Quintilianus, Plinius naturalis auctor hiſtorię, Strabo, Solinꝰ, Plutarchus, Valeriꝰ Maximus, Seneca, A. Gellius, Macrobius, Laurentius Valla, Nicolaus Perottꝰ, Petrus Crinitꝰ, Eraſmus de prouerbijs, de duplici copia, de ſimilibus. M. Antonius Sabellicus.

¶ Quintum

Dulcia ſecretis componite carmina cellis.

¶ Secretuꝫ, atqꝫ libeꝝ arbitris locum, ⁊ quam altiſſimuꝫ ſilentiuꝫ ſcribentibꝰ maxĩe conuenire nemo dubitauerit. Qđ et Ouidiꝰ teſtat̃ h̃ ꝟſu

Carmina ſeceſſum ſcribentis, et otia quęrunt

Quidã credunt aptiſſima in hoc nemora, ſyluaſqꝫ, q̄ illa cęli libertas, locorumqꝫ amœnitas, ſublimẽ animum, et beatiorẽ ſpiritum parẽt. Quorum ſentẽtię Flaccus accedit dicens. Scriptorum chorus omnis amat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

nemꝰ, et fugit vrbes. Subſcribit Petrarcha. Sylua placet muſis, vrbs eſt inimica poetis. Nec Virgilius diſſentit Tityre te patulę cecini ſub tegmine fagi. Quem Propertius his alloquitur.

Tu canis vmbroſi ſubter pineta Galeſi
  Tyrſin, et attritis Daphnin arundinibus.

At non nullis iucundus hic magis, quam ſtudiorum hortator videtur eſt ſeceſſus. Nanqꝫ illa ipſa quę delectāt, neceſſe eſt auocent ab intentiōe operis ꝛ deſtinati. Neqꝫ enim ſe bona fide in multa ſimul intendere animꝰ totum poteſt, et quocunqꝫ reſpexerit, deſinit intueri, quod propoſitum fuerat. Quare ſyluarum amoenitas, et pręterlabentia flumina, et inſpirantes ramis arborum aurę, volucrumqꝫ cantus, ꝛ ipſa late circumſpiciendi libertas ad ſe trahunt, vt multis remittere potius voluptas iſta videatur cogitationem, quam intendere. Demoſthenes melius, qui ſe in locum, ex quo nulla exaudiri vox, nihilqꝫ proſpici poſſet, recondebat, ne aliud agere mentem cogerent oculi. Ideoqꝫ lucubrantes ſilentium noctis, et cluſum cubiculum, et lumen vnum, velut rectos maxime teneat, vnde ꝛ Iuuenal

Qui facis in parua ſublimia carmina cella

¶ Sextum:

Opportuna iuuant ſcribentem tempora vatem

¶ Cauendum, ne poſt cibum, duabus, aut tribus proximis horis, vl' cogitationi difficili, vel carminum compoſitioni ſedulo incumbatis. Malum eſt cibo, potu ve ventrem diſtendere, peſſimum, ſtomacho ſic diſtento, difficilia cogitare. Tempeſtiue ſtudia, vel ſtatim oriente ſole, vel hora vna ſaltem, vl' duabus ad ſummum ante ſolis exortum poteſtis auſpicari. Quod et Flaccus in epiſtola ſignificat ad Auguſtum data

Ipſe ego, qui nullos, me affirmo ſcribere verſus
Inuenior Parthis mendacior, et prius orto
Sole, vigil, calamum, et chartas, et ſcrinia poſco

Sunt, quibus ſumpto modice vino, carmina profluūt huberius. Nā, vt Platoni viſum eſt, largior paulo, iucundiorqꝫ vini inuitatio nō eſt inutilis, quo calefacto ſimul, refotoqꝫ animo, ſiquid in eo, vel frigidę triſtitię, vel torpentis ignauię fuerit, diluitur. Martialis itaqꝫ non inepte

Poſſum nil ego ſobrius, bibenti Succurrunt mihi quindecim poetę.

Et Demetrius Halicarnaſſeus. Vinum equus eſt velox vati, quo grata loquatur. Suauia non paries carmina potor aquę

¶ Septimum.

Profluit huberius ſecuro pectore carmen

¶ Curas animo, perturbationeſqꝫ, bonis moribus, et virtutum ſtudiis,

quantum poteſtis, abigite, ⁊ liberã frigidis cogitationibus mentem mu-
ſis aſſerite, vt bona, et placitura doctis auribus carmina meditemini.
Juuenalis enim rectiſſime
Sed vatem egregium, cui non ſit publica vena
Qui nihil expoſitum ſoleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triuiale moneta
Hunc qualem nequeo monſtrare, et ſentio tantum
Anxietate carens animus facit, omnis acerbi
Jmpatiens, cupidus ſyluarum, aptuſqꝫ bibendis
Fontibus Aonidum, neqꝫ enim cantare ſub antro
Pierio, thyrſumue poteſt contingere ſana
Paupertas, atqꝫ eris inops, quo nocte, dieqꝫ
Corpus eget, ſatur eſt, cum dicit Horatius Euoe
Quis locus ingenio, niſi, cum ſe carmine ſolo
Uexant, et dominis Cirrhe, Nyſeqꝫ feruntur
Pectora noſtra duas non admittentia curas.
Nec diſſentit Ouidius libro de triſtibus quinto. Carmina letum
Sunt opus, et pacem mentis habere volunt. et alibi
Carmina proueniunt animo deducta ſereno.
Cui ſubſcribit Joannes Campanus his, hendecaſyllabis
Depoſcit vacuum Thalia pectus
Et curas fugit ocioſa Clio

Octauum

Mens lyrico cantu: lectoue poemate ſurgat

Mercuri⁹, Pythagoras, Plato iubent diſſonantẽ animum, vel moe-
rentem cithara, cantuqꝫ tam conſtanti, quam concinno cõponere ſimul,
atqꝫ erigere. Pythagoreis certe moris fuit. et cum euigilaſſent, animos
ad lyram excitare, quo eſſent ad agendum erectiores, et cum ſomnum pe-
terent, ad eandem prius lenire mentes, vt, ſiquid fuiſſet turbidiorum co-
gitationum, componerent. Proinde laudãdi ſunt, imitãdiqꝫ veteres il-
li poete, qui carmina ſcripturi, prius animi torporem lyrę cantu diſcutie-
bant, dein alacriore iam ſpiritu, et vegetiore animo carmina concinebant.
Multum quoqꝫ ſtudioſo cõfert poema quodlibet ſcripturo, ſi legat an-
te prȩſtantiſſimum in eo genere poetam, et illi⁹ emulatione ſimul, ac car-
minum vi raptus, ad ſcribendum diligentius accendatur. Nam quem-
admodum magnes ferro vim ſuam tradit, ita poetarum carmina, ſi legã-
tur accuratius, lectori furorem communicant. Compoſiturus igitur ele-
giam, Tibullum ſumat in manus, aut Propertium, lyricum carmẽ mo-
dulaturus, odam quamlibet Horatij, vel etiam plures legat. Qui ſcri-

bendis epigrammatis applicat animum, Martialis argutos, iocoſoſq; ꝟſus euoluat. Satyrographo Perſius ſit exēplar, bucolica ludenti Vir- gilius, aut Calphurnius, epithalamia Catullus, vl' Claudianus. Siq̄s autem ſequentes calorem, atq; impetum ex tempore, quas ſyluas vocāt, ſcribere iuuat, Papinio, vel Politiano totis ingenij viribus ęmulētur.

Nonum

Ne libeat raptim crudos effundere verſus

Non ſunt imitandi verſificatores ex tempore non tam bonos, quam multos ꝟſus effutientes, quales olim fuerunt Criſpinus, Caſſius Par- menſis, et Lucilius, qui (vt Flaccus ait) in hora ſępe ducētos Vt mag- num, verſus dictabat, ſtans pede in vno Cum flueret lutulentus, et inter recentiores Philelphi duo (vt alios omittam) Franciſcus pater ſatyra- rum ſcriptor, et Marius eius filius, qui Sabellico teſte, veſtigio ſtans vno, centum ordine dictantibus, confeſtim cuiq; ſuam, eo quo acceperat ordine, complexam carmine reddidit materiam. Sit primo vel tardus, dum diligens, ſtylus, quęramus optima, nec protinus ſe offerentib9 gau- deamus, adhibeatur iudicium inuentis, diſpoſitio probatis. Delectus e- nim rerum, verborumq; habendus eſt, et pondera ſingulorum examinā- da. Poſtea ſubeat ratio collocādi, verſenturq; omni modo numeri. Nō, vt quodq; ſe proferet verbum, occupet locum. Neq; pudeat ſtylum ver- tere, et ſi forte parum decenter eum occupauerit, loco mouere dictionem, quamuis recedat iuita. Vergilium pauciſſimos die compoſuiſſe verſus auctor eſt Varus. Nihil enim rerum ipſa natura voluit magnum effici cito, prępoſuitq; pulcherrimo cuiq; operi difficultatē, quę naſcēdi quoq; hanc fecerit legem, vt maiora animalia diutius viſceribus parētum con- tinerentur. Vnde belle quidam dixit

Omne, quod excellens opus, et ſublime futurum
Difficiles ortus habet, incrementaq; tarda.

Primum igitur hoc conſtituendum, hoc obtinendum eſt, vt quam op- time ſcribamus, celeritatem dabit conſuetudo. Nam cito ſcribendo non fit, vt bene ſcribatur, ſed bene ſcribēdo fit, vt cito. Paulatimq; contingit ingenioſo laudabilis illa ſcribendi facilitas, quam Sidonius Antipa- ter, et Licinius Archias (vt poſt Ciceronem Quintilianus teſtatur) fœliciter ſunt conſecuti. Nec hoc prętereundum mihi videtur, ſingulis horis ſemel ſaltem pauliſper remittendam eſſe mentis intentionem. Cū enim poetici ſpiritus ob hanc reſoluantur, merito ſiquis non ceſſet ten- dere, lentus erit. Cauendum quoq;, ne vlterius meditatio procedat, quā muſarum furor, et canendi voluptas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Decimum

Ne pigeat longum limę perferre laborem

Condito iam poemate, ſtudendum eſt diligenter eius emendationi, quę tribus partibus continetur, adiectione, detractione, mutatione. Sed facilius (vt Quintiliani verbis vtar) in ijs, ſimpliciuſqꝫ iudicium, quę replenda, vel deycienda ſunt. Premere vero tumentia, humilia extollere, luxuriantia aſtringere, inordinata dirigere, ſoluta componere, exultantia coercere, duplicis operę. Nam et damnanda ſunt, quę placuerant, et inuenienda, quę fugerant. Nec dubium eſt, optimum eſſe emendādi gen⁹, ſi ſcripta in aliquod tempus reponātur, vt ad ea poſt interuallum, velut noua, atqꝫ aliena redeamus, ne nobis ſcripta noſtra, quaſi recētes foetus blandiantur. Hęc Fabius, cuius et hoc audiendum eſt conſilium. Sit aliquando, quod placeat, aut certe quod ſufficiat, vt opus poliat lima, nō exterat. A quo non diſcrepat Plinius in epiſtola ad Appium data. Diligentiam tuam in retractandis operibus valde probo, eſt tamen aliquis modus, primum, ꝙ nimia cura deterit magis, quam emendat, deinde, q̄d nos a recentioribus reuocat, ſimulqꝫ nec abſoluit priora, ⁊ incohare poſteriora non patitur. Horatius in arte poetica ſcriptores ad accuratam carminum expolitionem his verſibus adhortatur

Nec virtute foret, claris ue potentius armis
Quam lingua latium, ſi non offenderet vnum
Quencqꝫ poetarum limę labor, et mora vos o
Pompilius ſanguis carmen reprehendite, quod non
Multa dies, et multa litura coercuit, atqꝫ
Perfectum decies non caſtigauit ad vnguem

Idem in ſermonibus de Lucilio

Si foret hoc noſtrum fato dilapſus in ęuum
Detereret ſibi multa, recideret omne, quod vltra
Perfectum traheretur, et in verſu faciendo
Sępe caput ſcaberet, viuos et roderet vngues
Sępe ſtylum vertas, iterum quę digna legi ſint
Scripturus, neqꝫ, te vt miretur turba, labores
Contentus paucis lectoribus, Et in epiſtolis.

At qui legitimum cupiet feciſſe poema
Cum tabulis animum cenſoris ſumet honeſti
Audebit, quęcunqꝫ parum ſplendoris habebunt
Et ſine pondere erunt, et honore indigna ferentur
Verba mouere loco, quamuis inuita recedant
Et verſentur adhuc intra penetralia Veſtę

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Obſcurata diu populo bonus eruet, atqꝫ
Proferet in lucem ſpecioſa vocabula rerum
Quę priſcis memorata Catonibus, atqꝫ Cethegis
Nunc ſitus informis premit, et deſerta vetuſtas
Aſciſcet noua, quę genitor produxerit vſus
Vehemens, et liquidus, puroqꝫ ſimillimus amni
Fundet opes, latiumqꝫ beabit diuite lingua
Luxuriantia compeſcet, nimis aſpera ſano
Leuabit cultu, virtute carentia tollet
Ludentis ſpeciem dabit, et torquebitur, vt qui
Nunc ſatyrum, nunc agreſtem Cyclopa mouetur

¶ Vndecimum

Tradere ne pudeat cenſendum carmen amico

Poema prius quã ꝓdat in lucẽ, ſubijciendũ cẽſeo docti cuiuſpiã amici, vel plurium iudicio, et cenſurę, iuxta illud Horatij pręceptũ. Si q̇d tu oliꝫ Scpſeris, in Metij deſcẽdat iudicis aures, Et patris, et nr̃as. Sic Macer et Propertius Ouidij, Flaccus Horatius Tibulli, pręceptoris ſui Cornuti Perſius, alijqꝫ ſcriptores amicorum iudicia frequenter experti ſunt. Sic Quintilius Varius Cremonenſis multorum verſus emendandos cenſuit, de quo Flaccus

Quintilio ſi quid recitares, corrige ſodes
Hoc aiebat, et hoc, melius te poſſe negares
Bis, terqꝫ expertum fruſtra delere iubebat
Et male tornatos incudi reddere verſus
Si defendere delictum, quam vertere malles
Nullum vltra verbum, aut operam ſumebat inanem
Quin ſine riuali teqꝫ et tua ſolus amares.

Quod autem cenſoris officium ſit, idem ſubdit erudite, vt cętera

¶ Vir bonus et prudens verſus reprehendet inertes
Culpabit duros, incomptis allinet atrum
Tranſuerſo calamo ſignum, ambitioſa recidet
Ornamenta, parum claris lucem dare coget
Arguet ambigue dictum, mutanda notabit
Fiet Ariſtarchus.

Aſſentatorem vero compoſitis nequaquaꝫ verſibus adhibendum prudenter monet hunc in modum.

Tu ſeu donaris, ſeu quid donare velis cui
Nolito ad verſus tibi factos ducere plenum
Lętitię, clamabit enim, pulchre, bene, recte

Palleſcet ſuper his, etiam ſtillabit amicis
Ex oculis rorem, ſaliet, tundet pede terram
Ut qui conducti plorant in funere, dicunt
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo, ſic
Deriſor vero plus laudatore mouetur

¶ Duodecimum
Aeditio ſcripti non eſt properanda libelli

¶ Ubi poema tuum diutiꝰ in ſcrinio recōditum, diligenter ipſe correxeris, doctoqꝫ amico, q̇ citius (vt fit) aliena dep̄hendere ſolet errata, quam ſua, diſpiciendum tradideris, et rurſus ad limā reuocaueris, extrema iam manu impoſita, tum muſis bene fauentibus ędendum eſt, vt lectoris, et aures delectet, et animo proſit. Hoc eſt, quod pręcipit Horatius

Nonumqꝫ prematur in annum
Membranis intus poſitis, delere licebit
Quod non ędideris, neſcit vox miſſa reuerti

Siq̇d autem emiſeris in lucē parꝫ diligenter emendatuꝫ, maxime in adoleſcentia, quę nō eſt ſatis exacto iudicio, licebit id retractare cū modeſta excuſatione, ⁊ mediocrit̄ recognitū denuo ędere lectores fortaſſe ꝓpicios habiturum. Fecerunt id multi, fecit et Martialis iā grādior ętate, cuiꝰ hoc (eſt epigramma

Feſtinata prior decimi mihi cura libelli
Elapſum manibus nunc reuocauit opus
Nota leges quędam, ſed lima raſa recenti
Pars noua maior erit, lector vtriqꝫ faue

¶ Breuis duodecim pręceptorum huius libelli repetitio.

¶ Sumite materiam conſultis viribus ęquam
¶ Ingenio prius eſt res inuenienda perito
¶ Diſponenda ſuo mox ordine, et arte locanda
¶ Eloquij in promptu ſint ornamenta decori
¶ Dulcia ſecretis componite carmina cellis
¶ Opportuna iuuant ſcribentem tempora vatem
¶ Profluit huberius ſecuro pectore carmen
¶ Mens lyrico cantu, lectoue poemate ſurgat
¶ Ne libeat raptim crudos effundere verſus
¶ Ne pigeat longum limę perferre laborem
¶ Tradere ne pudeat cenſendum carmen amico
¶ Aeditio ſcripti non eſt properanda libelli

¶ Protreptici poetantium Finis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
226 E 81